

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Rahn

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne/ I. D & Prof. Ord. Ad Festum
Angelorum summa cum devotione recolendum Omnes & singulos Cives
Academicos sedulo invitat serioque adhortatur**

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734821492>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1646

1) Nic. Schubke 1. Ed.
2) " 2. Ed.
3) Minor. Rakne
4) Joach. Lütkemann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734821492/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734821492/phys_0002)

DFG

4

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HENRICUS Rahne / J. D.
& Prof. Ord.
AD FESTUM
ANGELORUM
summa cum devotione
recolendum

*Omnis Singulos Cives Academicos sedulo
invicat serioque adhortatur.*



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.
Anno M DC. XLVI.



Uo d bene prospereq; nobis
eveniat, de more & instituto majo-
rum, celebramus iterum Soleinia
Divi MICHAELIS. Ea q; in ho-
norem Conservatoris nostri CHRISTI Domi-
ni, colere nos multa jubent. Retraetemus modo
beneficia, quæ tot & tanta, per ministerium An-
gelorum, in nos pariter & nostros, ad hunc usq;
diem confert atq; collocat. Absq; Angelorum
ope & opera foret, profecto

Multa irent sursum, quæ fas erat ire deorsum:
Arq; deorsum eadem, debentia tendere sursum.
Caussam vultis?

Nec requiescit enim Stygii ferus arbiter orci,
Præcipue dum summa videt sibi fata parari,
Totaq; Naturæ meditari mænia lapsum.
Bellorum quanta sit calamitas, notius pro dolor
est, quam ut percenseri multis debeat. Dolenter
audimus dirui urbes, diripi templa, profanari sa-
cra, conculcari pudorem, stuprari matronas, ra-
pi virgines, pueros in servitutem abigi.

Τοιανθ' ὁ τλήμων πλευρῶν ἐξεργάζεται,
ut cum vate Tragico loquar. Ante annos qui-
dem aliquot Deus optimus max. visitavit deli-
cta.

cta nostra flagello belli horrendo , ut quisq; sic
in seipsum descenderet,& vitæ suæ calculos rectè
poneret ac supputaret. Et quamvis ne nunc o-
mnibus belli hujus funestissimi molestiis defun-
gamur , haec tenus tamen beatissimæ illæ super-
norum civium turmæ Rempublicam nostram.
eousq; tutantur , ut intra pomæria opidi Sulla-
num aliquem militem immigrasse , queri non
habeamus , qui , postquam multam publicam
x x c i o . talent. Asia irrogasset , privatim quoq;
eorum domos , apud quos diversabatur , insolent-
tiâ & vexatione acerrimâ exercuit. Hospes siqui-
dem militi apud se commoranti sedecim in diem
drachmas numerare , cænam insuper ei & soda-
libus , quotquot vocasset , præbere , centurioni
etiam præter quingenas in diem drachmas , ve-
stem aliam , quâ domi , aliâ , quâ in publico u-
teretur , præstare tenebatur. Neq; tamen nostri
milites contenti cibis & argento , quod exquisi-
tis sâpe cruciatibus extorquent , acerbissimis in-
super contumeliis hospitem afficiunt , uxorum
& familiæ pudicitiæ illudunt , verbera ingerunt
ac vulnera , & magni beneficij loco habendum ,
si post perpeccata hæc omnia nihil gravius designa-
tum fuerit. Hoc scilicet est , quod Aurelianus Im-
perator , severus disciplinæ militaris exactor , suis
præcepit : in hospitiis castè se agere , annonâ suâ

contentum esse, & DE PRÆDA HOSTIS, NON
DE LACHRYMIS PROVINCIALIUM habere.

Quæ vero pestilitatis solitudo & miseria? &
ab hac immunem fuisse hactenus hunc locum,
cui acceptum referamus alii, quām Deo beni-
gnissimo, qui pestilentem hanc luem per Ange-
lorum præsidium ab ædibus nostris quam cle-
mentissimè averruncavit? Ancilia tanquam im-
perii pignora & fata Romanis religiosè observa-
bantur. Cum enim regnante Numa Pompilio,
morbis & contagionibus civitas infecta esset, ea-
que lues nullis sacrificiis aut piaculis sedari po-
tuisset; scutum æneum è cœlo, in quo fata Ro-
manorum sita erant, in manus Numæ decidisse
perhibent. In quo cum urbis salutem positam
crederent, ne inventu facile, & ob id furto expo-
situs esset, alia undecim elaboratæ artis eadem
formâ à Mamurio Veturio, peritissimo opifice,
ne dignosci possent, fabrefieri curarunt, Martiq;
consecrarunt. Sed

O vanas hominum mentes! o pectora cæca!
His ergo manentibus, salus populi salva esset?

Non tali auxilio, nec defensoribus istis

Tempus eget,

Turcicæ historiæ scriptores referunt, Constanti-
nopolii ab Apollonio Thyaneo nobili Mago ere-
ctum equum aheneum stetisse, cui statua eque-
stris

stris insideret; quâ salvâ salva quoq; & immunis
à lue pestilenti fuerit urbs: ubi vero Mahometes
eam demolitus est, quotannis postibi mensibus
æstivis atrocissimè sœviisse. Nos, quamdiu præ-
sidiū Angelorum à CHRISTO Servatore no-
bis indultum vitæ improbitate non excutimus,
salvos & incolumes esse posse, sacras literas edo-
cti omnino confidimus.

Quæ tandem famis calamitas? quæ per Deum
miseriæ? non dicam de miseriis & portentis fa-
mis Dyrrachinæ, non Numantinæ, non Perusi-
næ, non Samaritanæ, non Hierosolymitanæ:
non quomodo Athenis olim, obsidente urbem
Demetrio Poliorcete, filius ob murem, qui forte
ex superiori ædium parte exanimis deciderat, ad-
versus patrem gladio decertavit. In præsenti vel
hoc recognoscite. Procopius lib. 2. belli Gothi-
ci testatum reliquit, sub ingressum Vitigis in Ita-
liam, tantam exortam famem in Liguria, ut pro-
pe Ariminum in ædicula duæ mulierculæ seor-
sim habitantes septendecim viros in somnis ne-
catos maectarint & deglutiverint, cumque deci-
mum octavum aggredierentur, eum excitatum
& valentiorem factum, cur id facerent exquisi-
visse, ubique rescivit, famis sedandæ id causâ
fieri, & tot jam à feminis comedtos, indigna-
tum atrocitatem facinoris utramque occidisse.

A 3

Nos

Nos etiam (quid enim honesta culpæ vocabula singimus , & ab ulcere nostro prohibemus ferrum ?) jam pridem & merito consumisset

Annonæ pariter bellique luisque flagellum , nisi deus per angelos apparitores suos perpetuos , & ferias illas esuriales à nobis prohibuisset . Et quis singula percensere possit pericula , è quibus excubante pro nobis Angelorū caterva incolumes ac sæpe præter opinionem evasimus ? Cum in lucem nondum editi intra materni uteri angustias latitaremus , pro nobis in excubiis stetit Angelus , ne forte Diabolus ad omnia exitii genera ingeniosus , vitam in ipso limine raperet . Ne lavacrum illud ~~παλιγγενεσίας~~ à perditissimo nebulo- ne nobis præriperetur , Angelus in excubiis stetit . Ne in quævis scelerum avia abripiamur , in excubiis pro nobis stat Angelus . Gaudent enim cœlestes illi , & ab omni concretione mortali se- segregati animi inservire illis in terris , quos aliquando socios habebunt in cœlis . Hæc hodierno die gratâ mente agnoscamus & summa animi de- votione ruminemur , oportet Deumque veneremur , ut porrò quoque cœlestium spiri- tuum præsidio nobis adesse non gravetur Quod ut eò facilius consequamini , vos agite cives A- cademici , semper oculis & animis vestris cir- cum-

cumferte illud divinum: *Convertemini ad me, trahite vos, aperite mihi portas vestras.* Gaudium est in coelo coram Angelis super uno peccatore resipiente. Qui igitur a DEO discessione fece-re, ad DEUM mature redeant, dum adhuc redire licet. Non in morte sapiendum est sero, sed in vita sapiendum est cito. Qui in vanitatis arena pedem fixistis, & in spurcissimarum libidinum ac voluptatum pelagus tanquam sardanapali haec tenus vos demersistis, revocate gradum, & serio vobis persuadete, placere Divinæ Majestati non posse, quod fædis libidinum fôrdibus est inquinatum. Procul etiam habenda omnium flagitorum verè mater, illa scortationis comes, voluntaria insania, castitatis naufragium Ebrietas. In hac ebrietatis cloaca fœdissimis luxuriæ fôrdibus modestia cum pudore suffocatur. Hæc linguam obsecratis verbis armat, hæc manus armis instruit, hæc animum scelerum omnium cogitatione replet. Annon

Mellificas vidistis apes caligine fumi

Cerea vernantis migrare cubilia nidi?

Vidistis? ratione pari fugit Hospitis ædem

ANGELUS excubitor, quam vita crimina fœdant.

Qui nocturnis grassationibus optimo cuique infesti & infensi estis: qui dicendis, & non dicendis flagitiis homines & Deum fœdatiſ & deformatiſ:

qui

qui parentum, qui præceptorum tot monita, tot
calidissima vota impurissimis quasi pedibus pro-
culcatis, nunquid vos ab Angelis, eorumque Do-
mino amari, defendi speratis? nunquid animam
aliquando corporis ergastulo egressam ab Ange-
lis in sinum Abrahæ, nisi resipueritis, deportatum
iri creditis? O vos cæcos! o vos dementes! sane si
qui olim apud Romanos aut Consulatum, aut
Prætoram ambibant, comparere in candida veste,
quæ recens erat à fullone, debebant, annon æ-
quum est, ut qui ad cælestis imperii dignitatem
aspirant, candidam sanctitatis vestem appor-
tent? sanctitati ergo studete, non hisce duntaxat
sollemnibus, sed omni vitæ tempore, si Angelos
optatis socios & tutores Morum similitudo ma-
xime conciliat amicitiam. Quisquis es, quicquid
agis, in omni loco, in omni angulo, reverentiam
habe tuo Angelo.

Noli peccare, DEUS te

Omnituens videe: Angelus adstat: Mors minitatur:
Accusat Satanas: Mens pravi conscientia mordet:

Infernus rictum diducit.

Hodie vero

confluite in ædibus sacrис frequentes, & quæ nos dicere
non potuimus, ex verbi diyini ministris prolixius acci-
pite. Überiores fructus celerata devotio refert. Non an-
nos aliquos aut ætates exspectemus, non dies aut horas:
nunc, nunc hora est, cum intelligimus, audimus, vide-
mus. & adveniens nondum moram periculum occupa-

yit. P. P. Rostochi sub sigillo Universitatis, ipso

MICHAELIS die, An. cl^o 1^oc XLVI.

•S(0)S•

up



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734821492/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734821492/phys_0011)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734821492/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734821492/phys_0012)

DFG

lorum oneri succumbamus
fractis & nutantibus animu-
lum quævis discrimina pro-
intrepide adeamus, sed in i-
& afflictionibus frontem c-
umphemus. Quotusquisq;
senecta, hoc turbulentissi-
statu, inter tot Diaboli circu-
tot clades, tot artes malas
nem status præsentis, Christi-
tis æternæ vocant) animum
spondisset, absq; Spiritus S.
gitate quæso duodecim viro-
Fugerant prius ad solum h.
Petrus, heros ille maximus
na quædam & focus, ad uniu-
tum ter pejerat: alii renun-
unt quidem. Nunc vero co-
robore armati, præsenti ani-
versum peragrant, mul-
perabilem, igneo illo doctri-
dem CHRIS TI adigunt, qua-
tunt. Quamobrem firmissi-
am hodie ab eodem illo sp.
pro suo quemque modulo d-
ilecti animorum robore fulci-



nos erigit,
ut non fo-
r i nomine
tormentis
nus ac tri-
eta mundi
omnium
nes, inter
itici ratio-
num salu-
m non de-
uisset? Co-
postolicos.
nspectum.
oris offici-
ulæ impe-
ne respici-
itus Sancti
i terrarum
n armis su-
flatu in fi-
ugum mit-
us, nos eti-
tatis duce,
nerari, cœ-
rmari, ne
ull-